

mibi hæ Thermae videbantur, quod tamen summo opere mirabar, etiamsi internum earundem usum ob copiosæ admixtas particulas calcarias nemini suaderem. Cæterum in Thermis hisce secundariis Cannabim macerare solent accolæ.

Relicto Viterbio loca quædam alia vidimus minus notatu digna, donec tandem d. 4. Novembris totius terrarum Orbis quondam Dominam Romam sc. intravimus. Quid in amplissima hac civitate circa studia nostra observaverim ex sequentibus cognosces literis, ubi præsentis Tibi non ingratas fuisse ex benevola responsione cognovero. Vale, Vir illustris, & amare perge inclyti Nominis Tui

Dabam Gedani 1711
d. 19. Septembr.

Cultorem humillimum

J. Phil. Breynium, M. D.

III. *Animadversiones quædam in Codicem MS. membranaceum, superiori Epistola memoratum: Excerptæ ex Additamentis G. Ch. Schelhammeri in Herm. Conringij Introductionem in Artem Medicam. Cap. XII. pag. 401.*

Preter hos [sc. Hippocratem, Galenum, & C. Celsum] ex antiquo ævo, qui hanc doctrinam [Chirurgicam] scriptis tradiderit, neminem habemus. H. Conringius.

Extant quidem plurimi, sed avândotai, si credimus Johanni Sponio, artis & antiquitatis peritia celeberrimo, in Augusta illa Magni Ducis Hetruriæ Bibliotheca inter Manuscripta ad Sancti Laurentij Ædem asservata, de quibus non pigebit verba ipsamet adscribere ex *Itinerario*, quo per Italiam, Dalmatiam, Græciam, &

R r r 2

Asiam

Affiam sibi visa notavit: Sic autem ubi de Florentiæ admirandis Sermonem instituit Idiomate nativo loquitur, quod nos Latine sic redidimus: *Aliud Manuscriptum commemorabo, quod pertinet ad Artem quam profiteor, & quod omnium per universam Europam Bibliothecarum, quantum quidem novimus, unicum extat. Est vastum volumen Græcum, continens Chirurgiam Antiquorum, Hippocratis, Galeni, Asclepiadis, Bithyni, Apollonij, Archigenis, Nymphodori, Heliodori, Dioclis, Ruffi Ephesij, & Apollodori Cytiensis, in cujus opere figura cernuntur chartæ Pergamenæ inscriptæ, ad modum reponendi luxatas partes attinentes. Hujus ultimi, pariter ac Asclepiadis, Apollonij, & Dioclis aliquoties in Plinij operibus fit mentio. Archigenis etiam apud Galenum non infrequens est nomen: verum integra ipsorum opera nullibi reperiuntur. Bithyni autem, Nymphodori, & Heliodori vix nomina nobis etiam nota sunt. Sane ista omnia si ita haberent, uti Clarissimus Sponius narrat, fraudi foret haud exiguæ rei Chirurgicæ, æternis tenebris tam eximium opus damnari, in quo fieri non posset, quin multa præclara admodum, summæq; utilitatis monita legerentur: multo enim plura fuisse recte observata antiquis illis, cum inter Medicorum filios Chirurgiæ studium floreret, quàm nostris temporibus ab indoctis plerumque operatoribus & rei anatomicæ imperitis fieri potest, rationi conveniens est, & res ipsa loquitur.*

Verum enim vero fefellisse videtur optimum viram cursoria & festinata perlustratio. Cum enim in his inscribendis animus esset, opportunè occurrit sagacissimi antiquitatum medicarum Indagatoris, Collegæ conjunctissimi, Meibomij peritia, cui diutius Florentiæ subsistenti Bibliotheca illa Magni Ducis ad invidiam frui concessum fuisse noveram. Is igitur de hoc Codice consultus tale mihi responsum misit.

Liber ille, quem ex antiquis Chirurgis collegit quidam Medicus, *Nicetas*, nescio cujus ævi, notissimus mihi est, illóque, in Magni Ducis Laurentiana Bibliotheca, Scamno LXXIV extante, licuit mihi uti, quamdiu Florentiæ fui, & pluscula ex illo describere. Non tamen Florentiæ solum, ut Sponius credit, sed etiam in Regis Galliarum Bibliotheca eadem Collectio extat. Nec omnia, quæ in eo Codice habentur, inedita sunt, nec ejusdem momenti, multo minus Autores eorum sunt incogniti. Deprehendi in eo quosdam Libellos integros; de alijs non nisi tenuia quædam fragmenta. De Hippocratis, Galeni, Oribasii, P. Æginetæ, Ruffi Ephesii, Palladij, aliunde notis scriptis & jam editis nihil moneo. De Bithyno, Nymphodoro, & Heliodoro tantum dicam aliquid, quoniam Sponius illorum nomina pene incognita existimat. De Bithyno fortè non malè dixerit, eum alijs omnibus ne nomine quidem cognitum esse, quoniam ex Sponij cerebro nupersime prodiit. Quæ enim ibi habentur fragmenta, sunt Asclepiadis ex Bithynia, seu Prusienfis, cujus toties mentio fit apud Plinium & Galenum, ex quo ille duos facit, alterum Asclepiadem, Bithynum alterum: quo eodem jure alium Rufum, alium Ephesium facere potuisset. Et vero Heliodorus quoque ex Ægineta & Oribasio, qui ejus Chirurgica laudant: Nymphodorus quoq; ex Celso & Galeno & eodem Oribasio, propter Glossocomum quoq; potuisset esse cognitus. Jam tum etiam Heliodorum, cujus de Fracturis Capita xi. in hac Collectione extant, vertit & edidit Vidus Vidius. *G.C. Schelhammerus.*